et Theloneorum quorumuis praefectorum, Notariorum, Custodum et administratorum nostrorum deducentes eisdem serio mandamus ut eundem Balthasarum Andream Bibliopolam nostrum tam ab exteris regionibus in Regnum nostrum venientem quam etiam per Regnum nostrum quocunque illi libuerit transeuntem cum libris mercibusque ipsius libere dimittant, neque ullum Teloneum sive finitimum sive aliud quodcunque ab eiusmodi libris et mercibus ipsi exigere praesumant. Pro gratia et sub graui animaduersione nostra. In cuius rei fidem etc.

Donatio

Sigismundus etc. Significamus etc.

Quod cum compertum haberemus Generosum olim Stanislaum Broniowski Agasonem Terrae Premisliensis villam nostram Szade praetextu attinentiarum ad Aduocatiam in villa nostra Molestaini sitam pertinentem multis annis possedisse. Et quamuis decreto Serenissimi Sigismundi Augusti Regis declaratum et pronunciatum fuerit eandem villam ad Aduocatiam praefatam non pertinere, quinimo solutioni quartae partis esse obnoxiam, illum tamen neque quartam partem Rauam neque tres partes nobis ad Thesaurum nostrum toto hoc posteriori tempore soluisse. Habentes itaque benignam rationem egregiorum in nos Venerabilis Pauli Sekerski Canonici Varsouiensis Secretarij nostri meritorum eidem id totum quodcunque nobis et Thesauro nostro ex eadem tenuta villae praefatae Szade a memorato olim Stanislao Broniowski eiusque successoribus competit, et competere dignoscitur, perpetuae et irreuocabilis donationis titulo dandum donandum et conferendum esse existimauimus, prout iam exnunc damus donamus et conferimus. Dantes eidem plenam facultatem et potestatem eosdem prouentus omnes nobis Fiscoque nostro debitos et retentos iure repetendi et exigendi exactosque in vsus suos beneplacitos conuertendi. In cuius rei etc.

Mandatum ad ciues Mariaeburg. Poseliciensis

Sigismundus etc.

Famatis Proconsuli et Consulibus Ciuitatis nostrae Mariaeburgensis fidelibus nobis dilectis gratiam nostram Regiam. Famati

Fideles nobis dilecti questus est apud nos grauiter Famatus Joannes Widarek Ciuis Wielicien. Quod Fid. Vis eum absq ullo processu iuris et causa in dicta domo propria eijcere intendunt quod cum iniquum sit (Scabinus enim neminj intromissiones in bona cuiusq dare debet, nisi ad id per sententiam Judicij designatus fuerit) Ideo Fid. Vis serio mandamus, requid contra eundem Joannem Widarek vel bona eius absq legitimo iuris processu attentent sed si quis aliquid iuris in bona ipsius sibi competere putat, iuris ordine contra eum agat, ille vero iuris itidem ordine cuilibet sese iustificet. Secus itaq non facient aliquin litem facient suam, et damna, si quae ex inordinato processu prefato Conquerenti intulerint eidem resarcient.

Mandatum ad ciues Wielicien

Sigismundus etc

Saluus conductus Infami

Quod cum questus esset apud nos grauiter nobilis Mathias Chelchowskij obtentum esse contra se per nobiles Adamum Michaelem et Andream filios nobilis Felicis Wegierskij pridem coram Judicio Castrensi Cracouiensi ex contradictatione cum tertia quadam persona (quam ille subordinatam fuisse affirmat) partim in contumatiam coram Judicio Tribunalis Regni Petricouien. quasi ex remissione quadam ab eodem Judicio Castrensi Cracouiensi facta processum quendam infamis in contumatiam in causa et actione ratione quasi non ingressionibus in terminum occisione asserti interemptionis ex proximo nobilis olim Joannis Wegierskij fratris actorum nullis citationibus contra se prodiis, neq sibi ad notitiam deductis. Cum vero idem Mathias Chelchowskij constanter negaret, ullam eo nomine citationem sibi ad notitiam deuenisse, et totum illum processum fictitium esse, neque ex eis munimentis, quae in ea causa nobis exhibita fuerint, constaret eundem Mathiam Chelchowskij aliquando personali in ea causa comparuisse, supplicarentq apud nos pro eo diligenter certi consiliarij nostri, Nos quamuis